



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 5. Origo Cosacorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

que exinde per magnam Europæ partem effusi mira edidere crudelitatis monumenta. Postmodum tamen disijuncti, varias occupauerunt Regionibus sub variis nominibus. Nam Russi in Septentrionem irruerunt; Volgari in Mysiam; Moravi à Morauo fluuio dicti sunt; Volhyniorum hæsit in Poloniâ nomen; Boiohæmi nomen & Regionem inuenerunt; nomen totius in quibusdam locis Illyrici remansit. Meminit Slauorum Procopius, meminit & Iornandes, qui addit Slauorum nomen suo tempore fuisse nouum, sed non linguam. Interim Slaui illi degentes in Illyrico diuturnâ seditione laborarunt, cuius pertæsi duo Principes Cechus & Lechus nouas quærere sedes decreuerunt; itaque magnam occupauerunt Germaniæ partem: & Cechus quidem in Boiohæmiâ restitit, Lechus autem promouens copias suas in Septentrionem, cæsoque Germaniæ regulo dum quærit idonea loca ad figendas arces, reperit Aquilarum nidum; quare ex consilio augurum hinc urbem condidit, dictam à nido *Guesna*, circa annum Christi 550. & Aquilam candidam voluit esse Polonici Stemmatibus insigne. De aliis Regionibus, ut Craco conditore Cracouiæ, legantur huius gentis Annales.

§. 5. *Origo Cosacorum.*

FORTISSIMI Polonorum creduntur Cosaci, qui primum existere dicuntur ex Insulâ Borysthenis, in cuius etiam ostio hodie viuunt, Turcis terribiles sub Russorum nomine *les Roux*: neque unquam inde eiici potuerunt; quia illæ Insulæ grandioribus arundibus prætextæ, maioribus nauibus aditum occludunt: inde autem cum suis lintribus exeuntes, equisque ad eas religatis, in Asiam usque penetrarunt, & nostra ætate Synopen combussere. Extensi sunt quoque ad radices montis Carpathi, indeque egregiam nauant Polonis operam contra Turcas, Russos, & Tartaros, quos ipsi suis excursionibus vexant. Polonis nihil damni afferunt. Neque serunt, neque metunt, nihil tamen iis deest, certis aut rapere, aut mori. Eorum numerum augent Poloni nobiles egentes, decoctores, alicuius criminis rei. Ducem eligunt, cui obsequuntur, legibusque militaribus. Omnes fermè Christiani sunt & pij, nomenque habere dicuntur à voce Ruthenica *Cozac*, quæ significat militem vagum, atque viuentem ex rapto.

*Parall. Geogr. Tom. II.*

D d